



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XVIII. Itinera Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

quamvis libera à meis malis, compatere huic tuæ massæ, ut per tuam intercessionem consequar tuum spiritum. O sacer Apostolorum Chorus, qui fuistis lux mundi, obtinete in præmium laborum vestrorum, huic peccatori gratiam, quam omnibus desiderabatis, se convertendi ad Christum: & quia incessistis per meos defectus, compatimini mihi, & impetrate mihi spiritum divinum, qui perfectos vos fecit.

## Æ R V M N A X V I I I.

## Itinera Domini.

## I.



Um hoc exiguo & Apostolico grege cœpit bonus Pastor obire totam regionem Palæstina, ad colligendas oves, quæ perjerant, domûs Israël, cui erat promissus; & viam sternendam toti mundo ad pascua salutis, loco eorum, qui pro sua cæcitate ac duritia ipsum auditurum & recepturi non erant. Ne verò ullam excusationem haberent suæ proterviæ, & ut mundus tantò foret opulentior è suis meritis, è sua parte nihil omisit, quo possent converti, omnibus annuntiando Regnum Cælorum, legem gratiæ, ac divitias divinas, quas afferebat. Cumque ipse esset Deus, Dominus & Salvator promissus, quem, ut venit in terram, summo studio quærere, excipere, agnoscere, adorare debebant Iudæi, quorum præcipuè gratiâ venerat; ipsemet illos suæ salutis prorsus incurios quæsivit, vocavit, & obtulit eis gratiam suam; nihil corpori suo indulgens, nulli parcens labori, quantumvis gravi, ut eos illuminaret, eriperet à vitiis, impleret bonis divinis. Dimissâ igitur sanctissimâ Matre, sub cuius obedi-  
*Jesus per a-*  
*gravit Re-*  
*giones magis*  
*corruptas.*

entia suavissimè vixerat tot annis, contulit se Capharnaum, civitatem Galilææ, in confinibus Tribuum Zabulon & Nephtalim, prope Jordanem, sitam in littore lacûs salis, quod mare Galilææ vocatum est. Erant hæc tribus jam olim perditis moribus, & ob hoc vastatæ cum reliquo regno Israël, quod decem Tribus complexum, caput habuerat urbem Samariam, refertam tantis sceleribus, ut unâ cum toto regno peste & bello consumpta sit.

Ec 2

II. Ergo

Isa. 9. 1.

Iesus est sol  
oriens pec-  
catoribus.

II. Ergo Dominus Capharnai fecit prædicandi initium, ut Isaias prædixerat: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtali. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est.* Ibi Dominus uberiorem doctrinæ, & miraculorum splendorem effudit, ibi tamdiu ac sæpe moratus est, ut civitatem suam vocaret. Nam ut sol cælum obit, non tamen dicitur oriri cælo, quod semper est lucidum; sed terræ, quam nox obscurat, & afficit mutatio temporum: ita Dominus, qui sol & lucerna est civitatis cælestis, nulli umbræ mutationique subjectæ, non illi, sed peccatoribus ortus est; quibus admodum breves sunt dies illustrationis divinæ, longissime verò noctes ac tenebræ peccatorum, ut regio eorum videatur penè inhabitabilis. Et hanc civitatem suam vocat, ubi scilicet plurimum habet, quod agat, & ubi exercet opera majora divinæ virtutis. Atque hoc miseris peccatoribus non est modico solatio, quòd Christus, qui est immutabile cæli lumen, oriatum etiam nobis, nostras regiones frigidæ & obscuras accedens tanquam sol, ideo nascendo, ut nos illuminans varios in nobis fructus producat.

III. Igitur divinus hic sol egrediens supra terram subditam tenebris peccatorum, & supra regionem umbræ mortis, peragravit omnes civitates Tribuum Israël, ubicunque supererat aliquod earum vestigium; quarum numerus in divisione Josue ascendebat ad 300. præter illas, quæ postea ædificatæ sunt, ac præter castella & alia loca. Sola Tribus Juda habebat civitates centum & quindecim. Intrabat eorum Synagogas, ut ibi doceret; hortos & montes, ut ibi oraret integris noctibus; domos, ut sanaret ægros, atque doceret. In plateis patrabat miracula: in campis & litoribus eos colligebat, erudiebat, nonnunquam & pascebat divinâ virtute, omnes humaniter accipiebat, curabat infirmos, resuscitabat mortuos, trahebat omnes post se odore divinarum virtutum, repletos admiratione, consolatione, doctrinâ, & bonis divinis. Neque his contentus ipsemet obibat omnia loca cis ac trans mare, præmissis eò suis discipulis, ut sciretur venturus. Et cum essent tot loca obeunda, ut inter 72. Discipulos oporteret ea distribuere; tamen ipsemet obivit omnia: utque se pluribus posset im-

set impertire, sic tempus divisit, ut, quantum cuique loco necessarium erat, in unoquoque maneret, ubique relinquens flammam ardentis sui amoris, & spiritum suum; ut is perficeret, quod non poterat presentia corporis.

IV. Talis fuit cura huius divini cordis, tale desiderium *Mira mansuetudo, & patientia Domini.* salutis omnium, talis humanitas, quâ illos excipiebat; talis mansuetudo, quâ sufferebat eorum importunitates, & peregrinabatur sine cuiusquam incommodo, ut scribi vel cogitari non possit. Quæ omnia constabant non exiguo labore corporis, cum incederet pedibus, ut opinio est, nudis, nec raro fortè cruentis ex offendiculo, in regione aspera, saxosa, ardua, in æstu, luto, pluviis, sæpe defessus & affluens sudore, ut cogerebatur interquiescere: quamquam ei pro quiete fuit, mox, ut aliquò venisset, prædicare: & opera divina exercere: ac dum discipuli quærerent ei cibum, ipse fuit interim salutis animarum intentus. Bene acceptus est in locis quibusdam, non item in aliis, è quibusdam etiam abactus cum ignominia: sed ipse tanta mansuetudine se inde conferre solitus est aliò, quanta benignitate sua illis bona impertiit, qui parati erant ea recipere. Sanè cum discipuli quondam indignati vellent ignem devocare de cælo, ipse placidè ipsis respondit: *Nescitis cuius spiritus estis: indicans spiritum suum esse spiritum mansuetudinis ac patientiæ, longanimitè expectantem, non per vim obtrudentem gratiam suam. Alio tempore, cum dehortarentur eum, ne rediret in Iudæam, ubi paulò antè voluerant eum lapidare, dixit duodecim esse horas diei, & undecim horarum patientiam bene collocatam esse, si vel in duodecima recipiatur gratia sua, contempta & repudiata prioribus. Talis est hic Dominus, ut magna cum voluptate circumeat, homines invitando gratia sua & beneficiis: & ubi non recipitur, discedat invitus & quasi coactus; & pro iustissima indignatione, revertatur alio tempore, ut videat, an jam saltem velint eum recipere: & ubi desiderium hoc invenit, oblitus prioris contumeliæ, quâ fuerat rejectus, ita se gerit cum eis, ac si semper fuisset acceptissimus, ultrà vocatus & habitus benignissimè.* *Luc. 9. 55.*

*Exiguo  
tempore  
magna pos-  
sunt obime-  
ri merita.*

*Sap. 4. 16*

*Malis non  
videntur  
vivere.*

V. Beneficia, quibus homines affecit passim in suis itineribus, numerari non possunt: licet enim sat multa scripta sint, nihilominus dicit S. Ioannes, si omnia scribenda forent, totum mundum non capturum eos, qui scribendi sint, libros. Hæc autem non fecit tribus millibus annorum, sed tribus tantum annis, & paulò amplius; neque per alios, sed in propria persona non sine magno labore atque sudore. Et ex hac brevitate temporis, quo Dominus res tantas perfecit, implens terram gratiâ suâ, apparet, quanto plus valeat breve tempus bene impensum, quam vita longa & otiosa; & quomodo breve tempus sufficiat ad acquirendam magnam virtutem & merita. Si vitam nostram occuparem totam in servitio DEI, sine dubio citius nos transferret ab hoc exilioditatos suis favoribus: at quia major pars transigitur cum peccatis ac defectibus, egemus majore tempore ad ea deploranda & expianda, quæ impediunt ingressum in cælum, & ad promerendum eundem. Sæpe etiam Deus ex misericordia prolongat hoc mestum exilium, ut habeat plures, erga quos possit exercere suam clementiam. S. Scriptura dicit: *Condemnat autem iustus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam iniusti.* Quia iustus paucis annis, quibus vivit, habet spiritualium bonorum satis pro se & pro aliis, quibus ea communicet: & coram DEO juventus bene collocata reputatur pro senectute honesta, plenâque meritorum; at vita longa peccatoris, otiosa & plena peccatis reprobatur, ut inexcusabilis; qui multis annis, quos habuit ad vivendum, bene uti nescivit, aut noluit, ad suam salutem. Ut verè videatur Seneca dixisse: Malos non propriè dici mori: quia non apparet quomodo moriatur, qui non vixit, & finiat vitam, qui non cœpit. Magis propriè dicitur peccator semper mori; quia nunquam novit vivere: sicut enim non potest esse vita, nisi quæ plena sit bonis, quæ faciunt semper vivere; ita qui semper vivit, ut semper moriatur, revera incipit mori, priusquam incipiat vivere, & moriens continuat mortem, in qua semper fuit, nunquam gustando, quid esset verè vivere. Ergo qui diu vivunt sine vita bona, sunt similes navi, semper litus oberanti, quæ multum agitata parum viæ confecit.

VI. Iustus,

VI. Justus, qui totus occupatur in obsequio DEI, & procuratione suæ salutis, in paucis annis invenit multum temporis ad orationem, jejunia, eleemosynas, danda bona consilia, juvandum proximum, scribendos libros, exantlandos labores, exercendas virtutes: quia omnes horas bene impendit, & ex omni rerum successu ac tempore, capit occasionem virtutis, & meritorum augmentum. Negligens autem suæ salutis, qui alteri rei non studet, quàm suis desideriis & inclinationibus, plurimo tempore indiget ad satis faciendum illis, ad iram sedandam, satiandos appetitus inhonestos, comparandas oblectationes gula; ad recreationes, lusus, musicam, elegantias, vanitates; ad explenda puncta & momenta honoris, ad satisfaciendum centum millibus rebus, ad quas obligatur ratione suæ personæ vel statûs, ad quæ Deus non obligat: ut necessariæ forent ei totidem, & tam longæ vitæ, quot & quantæ sunt res, in quas unicam, & eam quidem perbreve incertamque partitur. Unde cum vult agere de se ipso, suæque salute, non invenit tempus, nec locum; quia tot res, quæ nihil, aut perparùm referunt, maximam vitæ partem præripiunt. Cum autem venit ad mortem, tunc primùm cogitatur, quid agendum fuisset: sed ut res, quæ properè fiunt, plerumque non absolvuntur tempestivè, vel sunt ejusmodi, ut nihil prosint, aut parùm; ita Deus novit, an is, qui in illo articulo tantùm satagit suæ salutis, possit tam brevi, circumdatus doloribus, cogitationibus ac timoribus, expedire vestem nuptialem, sine qua non datur ingressus ad cæleste convivium. Quòd si contingat errare illo momento, heu! quàm longa videbitur vita peccatori, quam habuit; quàm longa item, quæ deget in pœnis!

VII. Christus Dominus noster illo triennio suæ peregrinationis, habuit satis temporis ad obeundas omnes illas civitates, sanandi infirmos, excitandi mortuos, facienda laboriosa itinera, docendi plurima divina mysteria, instituendi collegium Apostolicum, perferendi multos labores, patiendi gravia tormenta, moriendi, resurgendi, ascendendi in cælum: ut plus attulerint omnium salutis illi tres anni, quàm prodesse potuerit singulis longissima vita multorum justorum, etsi piè sanctèque peracta. Cujus ratio est, quòd omnem suam cogitationem Christus impenderit salutis generis

*Bonorum  
vita satis  
est longa,*

*cum ad bo-  
na facienda  
mali tem-  
pus non in-  
veniant.*

*Mirum  
quanta I.E.  
S.V. trien-  
nio fecerit,  
docuerit,  
pertulerit,*

*Refocilla-  
tiones Do-  
mini.*

generis humani, quæ fuit voluntas & obedientia Patris æterni. Unde cùm fatigatus esset, non reperiebat majorem refocillationem, quàm in occasionibus multa bona conferendi hominibus. Hinc nullum iter fecisse, nullum locum adiisse legitur in sacra historia, in quo non mira beneficia præstiterit suâ divinâ præsentia. Quondam prope civitatem Samariæ, supra fontem sedebat fessus ac sudans; ex eo, quod ibi contigit, est conjicere, quas cogitationes in corde suo versaret, quaque re se reficeret in suis laboribus. Nam cùm à femina peccatrice, quæ tum eodem venit, discipulis ad cibos comparandos digressis, petiisset bibere, ipsaque frigida ratione id ei negasset; Dominus, qui sitiebat ejus salutem, ne quid temporis amitteret, cœpit ei dicere de aquis divinis, & fluminibus orienturis in corde justorum, salientibus in vitam æternam. Quorum desiderio in illa excitato, ut removeret impedimenta tanti boni, eam ad agnitionem mali statûs, in quo versabatur, suavi oratione deduxit: ad cujus emendationem, quia necessaria fuit agnitio Salvatoris, quod nec aliis publicè, neque privatim Apostolis indicârat, nisi à longè, huic peccatrici dixit apertè, se esse Messiam promissum à Deo, qui non minùs propter ejus unius, quàm totius mundi salutem venisset. Et sic illuminatam atque conversam, subito fecit gratiæ divinæ præconem. Discipulis postea rogantibus, ut manducaret ex iis, quæ attulerant, respondit se cibo sustentari, quem ipsi haud nôssent, videlicet explendo voluntatem Patris æterni in salvando animas, & attendendo ad segetes, quæ albæ jam essent, ac maturæ ad messem. Quæ dum diceret, venerunt cives, qui eum secum introduxerunt, audierunt & agnoverunt pro Salvatore. Atque hic cibus ejus fuit, quo refectus est eo die, majore cum gustu, quia eo solo delectabatur.

*Solius gloria Dei lu-  
stra semper  
quaranda  
sunt.*

VIII. Ideo divina Majestas cupiens nos liberare à molestiis & superfluis occupationibus vitæ, suasit, ut præcipua cogitatio & delectatio nostra sit in quærendo regno DEI, & justitia ejus: quâ ratione siemus immunes à multis ærumnis, non degendo vitam inertem, sed in omnibus occupationibus nostris lucra gloriæ divinæ sectando. Si enim in occupationibus vitæ hujus primariò quærat aliquid aliud; vel non procedunt, vel protrahuntur in longum,

longum, vel non reddunt operæ pretium, habentque semper adjuncta tœdia & misérias, quæ fatigant, cogitationes malæ implicant, ac vitam non bene consumunt. Sed qui in omnibus præcipuè quærit vitam æternam, quietè comedit, dormit, & agit sine fatigatione: quia in jactura temporalium locupletatur patientiâ & laude divinâ; in prosperitate verò majorem habet occasionem meritum in cælo.

IX. Cùm desiderium cæli magnum est, quælibet exigua res terræ sufficit ad necessitatem explendam: sed cùm illud est exiguum, nulla res terræ sufficit. Apparuit hoc in divite epulone qui, cùm abundaret opibus, tam parcus erat, ut neque micam panis daret Lazaro: at ubi in inferno constitutus Lazarum vidit in sinu Abrahæ, nescivit è tantis bonis cælestibus plus petere pro refrigerio animæ suæ, quàm guttam aquæ stillantis à digito Lazari. Quia ergo Christus Dominus noster pro refocillatione famis suæ, ac refrigerio fatigationis, sudoris & laborum suorum, habuit, quærere salutem nostram, remedium afferre nostris necessitatibus, & locupletare nostram pauperiem: par est, ut noster cibus sit, eî satisfacere, servire, placere, & non perire.

## EXERCITIUM

### De Fatigatione Domini in suis Itineribus.

I.

Omnipotens fortitudo, divina & invictissima virtus debilium & peccatorum, DÈUS meus, Dominus meus, ac tota mea felicitas! quid me fieret, si aspiceres mea peccata pro meritis, & non oculis misericordiæ tuæ? quàm pridem me abjecisses à te? quoties periissem, si attenderes mea mala ad pœnam, & non ad veniam? Siquè me permisisses incedere, ut merebar, quoties te offendissem, & dignus fuissem reprobari à te? sed quia me respexisti cum misericordia, per ipsam vivo: quia me sustentasti tuâ potentia, ideo non sapius perii, neque sum defixus in centro malorum meorum: & quia tuis meritis supplevisti justitiam, quâ carebam, ideo non reprobasti me hæcenus, sed mihi dedisti spem veniæ, & piè me vocas ad communionem bonorum tuorum. Tam

Ff

mife-



miserabilem peccatorem, bone JE S U, vis habere in tua familia? quomodo non timebit tanta foeditas mea huic puritati conjungi? quomodo mea miseria, vilitas mea audebit oculos conjicere in hanc Majestatem divinam? quæ communicatio tantæ egestati erit cum tanta abundantia? peccatori tam obſito plagis, cum ſuperſubſtantiali divinitate ac ſalute? tenebris meis cum hac luce tam clara & ſuavi? Ego ſum ille, quem tu vides; & tu es ipſe, quem nôſti, tam altus, ut à te ſolo poſſis plenè cognosci.

II. O bone JE S U, ô Deus cordis mei! qui propterea, quòd talis ſis, & me propter te feceris, non vis me abjicere, ſed te ipſo illuminare tenebras meas, curare vulnera mea, recreare languorem meum, expiare culpas meas, condonare meas offenſas, erudire meas ignorantias, reſuscitare mortem meam, ditare meam inopiam: tu ſcis, quàm ego ſim miſerabilis abſque te, & quomodo poſſim in hac mea miſeria fieri templum & habitatio tua; idèoque cupis me ſeparare à me ipſo, ac tibi unire. Si ergo id mihi tam convenit, ac tu tantopere deſideras, tuo guſtu, meo commodo; *Homo fugit Deum ſe quarentem.* quid me detinet vel unico momento ſejunctum à te? Ego, qui altà voce invocare te debeo, ſto mutus; actu me rogas: ego, qui ſemper debeo pulſare fores tuas, occupor aliis cogitationibus; & tu me urges: ego, qui ſemper obedire tibi debeo, ſurdus ſum ad tua præcepta; & tu me continuò provocas. Quomodo fit hoc, bone JE S U, ut reus recuſet, & offenſus roget veniam; creatura fugiat, & eam inſequatur Creator; infirmus nolit ſanari, & medicus divinus omni ſtudio velit eum ſanare; percuſſus amet vulnera, & tu, Deus meus, illa ſentias, movearique compaſſione? O Deus animæ meæ, hic vides me, qui amo meam perditionem: videam & ego te, qui ſolus, ut amantiſſimus Pater ac Dominus procuras mihi remedium.

III. O ſi ego tantùm ſentirem mala mea, quantum ea tu ſentis! ô ſi tam illa horrerem, quàm tu! ô ſi tam curarem ab eis exire, quàm tu me cupis educere! ô ſi tantùm laborarem pro meo bono, quantum laboras tu pro eo mihi obtinendo! Tu, bone JE S U, qui nôſti gravitatem peccatorum meorum, ac damni provenientiſ ex illis, bonique, quod perdo per ea; & jam diu antè, quàm naſcerer, vidifti, quàm parùm curaturus id eſſem; compaſſus mihi fuiſti neque,

neque pepercisti ulli labori in quærendo mihi remedio necessario: apparuisti lux divina, populo, qui sedebat in regione umbræ mortis; & ut bonus Pastor, quæsisisti oves errantes per saxa, per montes & valles, per vicos ac civitates, nudis pedibus, sudando, fatigando, frangendo tuum sacratissimum corpus. Nec fuit, ut vim ei faceres tu sponte currenti, sed operibus violenti amoris provocabas omnium corda ad te amandum, quærendum, & recipiendos tuos favores. Omnes implebas doctrinâ cælesti, operibus admirandis, tolerantia, humanitate, ac suavitate longè admirabiliore. O quantas gratias fecisti peccatoribus inter medios labores ac sudores! quantum, Deus meus, debet cor meum istis itineribus, & istis gressibus laboriosis!

IV. Nemo te invitavit in domum suam, quem non adires, dissimulans ejus exiguam fidem, & supplens omnia misericordiâ tuâ, & remunerans largis favoribus. Cùm te non invitabant, ipse studiosè, misericorditer, ac placidè quærebas illos, quos sciebas te indigere. Apud mare quæsisisti piscatores, ut ascisceres eos in discipulos: occurristi viduæ mœrenti, ut filium ejus resuscitares in Naim: accessisti piscinam Probaticam, ut sanares paralyticum tot annis derelictum ab omnibus: venisti Tyrum ac Sidonem, ut invenires mulierem Chananæam: intrâsti domum Pharisæi, ut sanctificares peccatricem: subiisti domicilium Petri, ut focrum ejus juvares: ingressus es viam, in qua seiebas Zachæum occursum cupidum tui videndi, ut eum benignis oculis respiciens, salutem afferres ipsi ac domui ejus: adiisti domos peccatorum, ut manducares cum illis, eos divina doceres: sole ardente fellus ac sudans quæsisisti Samaritanam, ut eam aquâ vitæ cælestis potares; sæpius occurristi cæcis, ut eos illuminares; infessis à dæmone, ut liberares; leprosis, ut mundares; mœstis, ut recreares; errantibus, ut reduceres in viam; obduratis, ut emollires; oblitis bonorum animæ suæ, ut illis offerres. Nullum passum fecisti, nisi largiendæ gratiæ causâ. Si quando cadebas, vel offendebas sacratissimos pedes tuos ad saxa, aut præ fatigatione non poteras progredi, & cogebaris obvio loco sedere; quando item ventis pluvisque grave habebas iter, cogitatio errantium ovicularum te

Quanto  
studio nos  
Iesus quæ-  
sisit.

animabat; periculum, in quo versabantur, non te sinebat quiescere; necessitas earum te urgebat ad festinandum. Ideo summo mane surgebas, ideo noctes tibi longæ videbantur, dies autem perbreves; & ut omnibus adesses in tempore, multiplicabatur tibi fatigatio, quia cura & amor tui cordis non te sinebat uno loco consistere. Et quamvis undique confluerent ad te quærendum, per campos & montes, tu tamen usitatâ misericordiâ satisfaciebas omnibus, neque intermittebas ire ad varia loca, ut quæreres vel salutis incurios, vel impeditos, quod minus venirent ad te. Non sustinebas, ut ullus te desideraret, quem non juvares tuâ præsentia; & eos, qui extra viam erant, tui cognitione carentes, vocabas.

*Iesus mei  
causâ sus-  
cepit omnes  
labores.*

V. Ah Pastor bone ac pie, aperi mihi oculos, ut videam & agnoscam, me esse ovem illam perditam, quam ita ferventer quæsisisti his itineribus & laboribus. Me vocabant illæ voces, me invitabant illæ miserationes, me instruebant illæ doctrinæ, me animabant illa solatia peccatorum, me curabant illa miracula, me recreabant illi sudores, me respiciebant illi oculi, qui convertebant peccatores. Illic tuum corpus erat, sed cogitatio mecum, paupere peccatore: illic bona faciebas hominibus, at me pauperem vocabas ad percipiendum fructum illorum. Quid dabo tibi, Domine, pro tantis favoribus? O bone Jesu! quia tanta fatigatione ac sudore me quæsisisti, fac, ne tantus labor, tanta cura sit frustra. Ego non sum minus miser, quàm ullus eorum; neque tu minus es Reparator, Pastor ac Redemptor mei, quàm illorum. Da igitur mihi quoque locum in mensa peccatoris Matthæi, vel aditum in domum Zachæi, vel ad pedes tuos, ut lavem eos lacrimis cum Magdalena; vel micam unam de pane tuo divino, ut vescar illis cum catellis, ut Chananæa; vel pauxillum aquæ tuæ dulcis, ut eo illuminer ad mei tuique cognitionem & amorem, cum Samaritana. Quod si nihil horum promereor, audi bone Pastor, vocem hujus ovis immundæ clamantis ad te, & dic ei tantum unum verbum, & ipse mundabitur. Tu, Domine, dixisti, te, quamvis missus sis ad oves, quæ perierunt domûs Israël, nihilominus habere adhuc alias oves, quas ab Oriente & Occidente debeas adducere, ut non pereant. Ego, Jesu bone, sum una de illis: tu nôsti bene meam miseriam,

vides

vides mea vulnera, ut sim laniatus à lupis infernalibus, & à meis peccatis. Ergo reporta me, Domine, ad tuum ovile, age me in tua vestigia, ut pascar tuis herbis cælestibus.

VI O Pater cælestis, ô Clementissime Rex ac Domine! qui *Iesus ideo*  
me vides, & non videris à me, fac, ut videam te, sicut tu me vides; *iam: pere*  
& me noverim, sicut tu me nôsti. Quid est hoc, Lux divina, quod *nos quærit,*  
in me vides? & quid est hoc, bone Iesu, quòd ego in te non vide- *quia novit*  
am utrumque, & oderim me, desiderem te. Tu, Domine, vides *malano-*  
meam internam inopiam, & quàm longè absim à te; ideo tanto *stra.*  
labore me quæris: quàm cæcus sim in tui cognitione; ideo progre-  
deris, ac tot circuitus facis, ut me in hac regione mortis illumi-  
nes. O quantas causas habeo sperandi, quòd me sis recepturus, cum te associes peccatoribus! O Domine, si descenderes ad id, quod in me vides, quòdque ego neque cognoscere, neque confiteri sat possum! Tu id vides, ac suffers, ac valde compateris meæ miseriæ. Et super hæc omnia vides bona, quæ in te sunt, quæque possunt me juvare, ego verò ea non video. Non, inquam, video Patrem, Amicum, Pastorem, Cibum, Ducem, Sodalem, Opulentiam ac Beatitudinem meam. Non video amorem, quo me sustines, nisi per similitudines: non vim operum tuorum, nisi per conjecturas; non tua suavissima bona, nisi per guttas & micas. Non video incomprehensibile pelagus, quod es tu, quòdque totum est meum. Et licet totum hoc credam, tamen fides mea est frigida; quia deest mihi lux & experientia perfecti amoris; & quasi cæcus non video neque progredior, nisi ad ea, quæ me semper magis occæcant. O lux divina, quæ nuquam extingueris: ô splendor, qui nunquam obtenebraris: ô dies, qui semper es lucidus: ô sol, qui nunquam occumbis! & quare cum quaquaversam tantum effundas luminis, absconderis oculis unius noctuæ, vespertilionis miselli, qui in sole magis cæcutit? quoties illuxisti locis obscuris? illucesce semel & huic animæ meæ, ut te videat, gaudeat, amet.

VII. Ah mi Jesu! in eo, quod vides in me, nihil invenis *Oratio, ut*  
solatii: at ego, si te viderem, & nôssem; quid me teneret, quin te *Iesus ad nos*  
amarem, te amplecterer, te possiderem? Eia, Domine, perge in *venias,*  
hac tua pulchritudine, ingredi in hanc animam & regna. A-

peri portam hanc ferream, dirue hunc murum æreum, emolli duritiam hujus cordis, intra in hanc obscuram cavernam, ubi latent tot viperæ, ubi tot bruta & terrena desideria stabulantur. Fugiant præsentiam tuam potestates adversæ; & tu cum tua ovicula reperta, inter brachia gaudens sana morsus luporum: tonde superfluitates terrenas: da illi spiritum, ut te videat, mi bone Pastor & omne bonum meum! O quando hoc erit? quando te videbo Deus meus, sicut tu me vides? quando te amabo, sicut me amas? quando mea tota cogitatio erit in te, sicut est tua in me? quando te possidebo, sicut me possides? Si tu, Domine, quæris peccatores propter id, quod in eis invenias; vides, quàm simus egeni & inanes: noli fatigari in vanum. At si quæris eos, ut eis aliquid des; da, da, Salus mea, quidquid vis, & invenies in me, quidquid desideras.

*Cæcitas no-  
lentium Te-  
sum recipere.*

VIII. O mi Domine! quantum interest meâ, non recedere à te; quando video homines, mei similes, ita perperos, ut, cum te lucem divinam habeant ob oculos, cum sudore & fatigatione accedentem ad illos, ipsi te nolint recipere, lapidibus fugent, & qui sunt humaniores, te rogent, ut discedas ab eis! O cæcitas cordis humani! ô temeritas, quæ cogitat, te fugato se habituram aliquid melius! Moyses à te illuminatus noluit recedere, nisi promitteres te comitem futurum ac ducem. Sed infelix populus, qui tuo commercio usus non erat, fecit sibi vitulum aureum, quem haberet pro duce. Ut adeò, quisquis te novit, timeat esse sine te, vel unico momento: qui verò te non cognoscit, sine te malo suo sit contentus. O Deus animæ meæ! da mihi cognoscere, quàm malum sit esse sine te, ne ad momentum velim separari à te.

*Commuta-  
mus Iesum  
cum rebus  
vilissimis,*

IX. Sed ô quoties, bone Jesu! te fugavi ex corde meo, neque acceptavi tuas inspirationes, & renui tuam societatem! quin ergo abscondo faciem meam in tua præsentia, Deus meus, talis cum sim? & quid quæsi, cum dimisi te? cui obedii, cum non obedii tibi? quid sum lucratus, te fugato? Ah miserere, Domine! non te commutavi cum porcis, ut Genezarenis, sed cum cloaca, sterquilinio & luto desideriorum terrestrium, & cum his, quæ tu vides in hoc misero corde. Vertantur, Domine, omnes meæ

venæ

venæ in fontes lacrimarum, quibus abluam tuos divinos pedes ad obrinendam veniam. Reliqui te, Vita mea! & quam vitam speravi sine te? Abegi te, fidissime amice animæ meæ! & quem alium volui pro te recipere? Occlusi tibi januam, thesaure bonorum omnium! & quid tunc habui te excluso? O salus animæ meæ! ô dulcis Redemptor! quo dolore cordis, qua confusione mei confitebor tibi hanc miseriam? & quomodo satisfaciam tibi pro hac ignominia? Amor animæ meæ! respice prius te ipsum, postea quid ego promerear. Quis tunc te tenebat, ne vocares in me ignem de celo? quis te placabat, ne terra dehiscens me deglutiret? quis intercedebat, ne traderes me in manus inimicorum meorum? at ultra hæc omnia, quis adigebat, ut redires toties, pulsans, me vocans, & urgens, cum ego deberem id facere? quis erat, ô Deus meus! nisi magnus hic amor, quem erga me geris? O amor, tutor meus! ô amor defensor meus! ô amor, qui me sustinuiisti! ô amor, qui convertis me! tu es Creator meus, protector meus, sanitas mea, medicus meus, pater meus, dominus meus, unicum remedium meum, & omne bonum meum: adjuva me, muta me, cura me: veni citò amor, quia te desidero: ingredere citò, quia te cupio: recludere intus, quia januam tibi aperio: sana me, quia te rogo: posside me, quia tibi me mancipio: rege me, quia tibi me trado: libera me, quia tibi me jungo; ab hac hora in perpetuum dominare animæ meæ; quæ tibi servire cupit, te amat, te quærit, te cupit ac recipit, ô amor mi, ô mi bone JESU, & omne bonum meum!

Mater DEI ac Domina nostra! quæ hunc Dominum recepisti semper in anima tua, neque dimisisti eum, etiam cum à te abiret me quæsturus; recipe me quoque in tuum: da mihi angulum in domo tua, ut, quia tecum libentiùs habitat, me apud te inveniat.

O Curia cælestis, servi & incolæ domûs DEI! quoniam ipsi grati estis, egóque ad hoc sum creatus, ut sim vester socius, nolite esse sine me. Impetrate mihi, ut cessent tandem mei errores in hac infelici terra, & deceptiones habitaculorum hujus exilii; ut receptus ad vos ab illo semper possidear, egóque illum semper adorem præsentem.

Amen.

ÆRVMNA